

## CONCILIIUM ROMANUM

sub Silvestro examinatur, simulque Constantini baptismus.

1. Post Romanum Concilium Melchide Pontifice in Laterano celebratum, quo novemdecim Episcopi simul convenerunt in causa Cæciliani Carthaginensis, sique adversantium Donatistarum; duo alia memorantur Romana sub Silvestro, quorum unum dicitur secundum, & perhibetur Nicænam Synodum præcessisse; alterum recensetur numero Tertium, & perhibetur Nicæna Synodo posterius, Primum quidem illud sub Melchide extra omnem dubium aleam constituitur, ejusque mentio legitur apud Eusebium, Optatum, Augustinum: duo vero insequentia sub Silvestro multas præferunt inanitatibus & suppositionibus adulterina notas, nec altiore quam Isidori Mercatoris auctoritate nituntur, qui circa Christi annum 619. suas propalabat merces. Ab hoc enim ceteri desumpserunt, quotquot hujusmodi mercimonja exposuerunt, scilicet Hadrianus Papa primus anno 785. edito tractatu ad Ingilramum Mediomatricis Ecclesiæ præfulem; Luitprandus Ticinensis, qui Silvestri vitam per sæculi noni medium proculdit; Nicolaus Papa primus epist. 8. ad Michaelem, Concilium Moguntinum anni 888. can. 12. & quotquot vestigiis Mercatoris insisterent collectores canonum, Burcardus Episcopus Vormatiensis, Ivo Carnotensis, Gratianus, At Dionysius Abbas, qui Romæ Codicem canonum Justiniano imperante concinnavit, Concilia ista Romana, quamvis Græcis permultis aliisque Orientalibus numerosiora, quorum Canones accurate collegit, prorsus conticuit, utpote suo tempore, ipsaque etiam in civitate Romana, in qua scribebat, plane incognita. Hincmarus Rheimensis Canonem III. ubi statuitur, majorem a minori accusari non posse, arguit falsitatis, & evidenter adversari factis veteribus Canonibus, ipsique juri commonstrat, epistol. 7. Labbeus notat ad vigesimum, qui ultimus est hujus Concilii, canonem, esse adulterinum. Marca etiam Parisiensis Metropolitæ, Christianus Lupus, & Emmanuel Schelestrates, confictum esse istud Concilium asseverant: in eodem fit mentio Diaconorum & Sacerdotum Cardinalium, illi sæculo & succedentibus longe sæculis plane inaudita. Baptismi quoque Constantino Augusto a Silvestro Pontifice collati, & miracula curationis a lepra, cui mendeda nefarium ex infantium sanguine balneum Medici præscriperant.

2. Quo autem lectori quæ in utramque partem de hoc Baptismo veteres Scriptores prodidere, velut in transcurso proponamus, refertur historia baptismi Romæ a Constantino suscepti, ejusque curationis ac emundationis a lepra in posteriore Synodo Nicæna, necnon in vetustis Silvestri Papæ actis, quæ olim approbavit Gelasius Papa in Concilio septuaginta Episcoporum Romanorum, ut habetur in cap. Romana Ecclesia, dist. 15. his alludit Gregorius Turonensis, narrans Clodovæum Francorum Regem ad sacrum Lavacrum properasse quasi alterum Constantinum, ut mundaretur a lepra. Venantius Fortunatus eadem Silvestri acta commemorat in vita S. Marcelli. Ex Græcis etiam scriptoribus Theophanes, & Simeon Metaphrastes, in vita S. Silvestri, Constantinum perhibent ab ipso baptizatum. Quam in sententiam magis propendet Baronius, contradicentibus ei Cardinalibus Cusano, Anea Sylvio, qui postea Pius Papa II. & Perronio.

3. Baptizatum autem Nicomedia sub finem vita Constantinum fuisse, gravissima sudent testimonia: hoc enim diserte affirmat Eusebius lib. 4. vitæ Constantini cap. 62. addens collatum fuisse baptismum ab Eusebio Nicomediensi. Etiam si vero scriptor iste sit Arianus, cum tamen de re omnium quæ suo tempore contigerant notissima, universoque terrarum Orbi comperta testimonium publicum conscribat, si jam antea fuisset Romæ a Silvestro cum insigni solemnitate, tantique miraculi accessione baptizatus Imperator, non modo fuisset prætractæ impudentiæ, sed projectæ omnino dementiæ, contrariam & publicam testificationem scriptis mandare, apud homines qui sub Constantino vixerant. Sic licet Eusebius suspectus & male parti addictus auctor: nullatenus tamen suspectum esse potest in re usque adeo publica suæque ætatis testimonium. Eidem subscribit Ambrosius in Orat. ad Theodosii obitum, cujus hæc sunt ipsa verba: Cui (Constantino) licet baptismi gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit. His tertius testis Hieronymus aperte concinit, dicens in Chronico: Constantinus extremo vite tempore

ab Eusebio Nicomediensi baptizatus in Arianum schisma declinat, a quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapine, & totius Orbis est sequuta discordia. Verba porro ista: In Arianum schisma declinat, secundum exteriorem speciem dumtaxat & apparentes effectus intelligenda sunt: consentit enim Baronius Constantinum Eusebio Ariano, aliique factionis Eusebianæ fraudulentis & calumniosos Episcopis nimis addictum & credulum, ingentibus cladibus Ecclesiam affixisse. Id testantur Conciliabula Tyrium, Jerusalem, & Constantinopolitanum ab eodem indicta; exilioque damnati Athanasius Alexandrinus, Eustathius Antiochenus, Paulus Constantinopolitanus, aliique Præfules orthodoxæ religionis columna: atque ex opposito mandatum recipiendi Arium faciem totius incendi intra urbem Alexandrinam, neglecto sanctæ Nicæna Synodi decreto, quod Arium etiam post simulatam palinodiam scitæque penitentiam Alexandria accessu prohibuerat. Quem eundem Constantinum, Trevirensis exilio relegato jam procul a propria Ecclesia magno Athanasio, voluit Arium hæresiarum triumphali pompa, & satellitio imperiali stipatum, ab Eusebio Nicomediensi intra Constantinopolitanam Basilicam communicatum deduci, gementibus & lacrymantibus una cum suo sanctissimo Episcopo Alexandro universo Clero, populoque Orthodoxo. Urget etiam pro Constantini baptismo apud Nicomediæm testificatio Catholicorum Antistitum, qui confederant regnante Constantino in Concilio Ariminensi, in epistola ipsorum ad Constantium scripta, quam referunt Athanasius lib. de Synodo Arimin. & Socrates & Sozomenus & Theodoritus, & in fragmentis Hilarius. Præterea diserte scribit Socrates lib. 1. cap. 39. Theodoritus lib. 1. cap. 12. Sozomenus, Romanæque urbis Præfectus Cassiodorus, lib. hist. tripar. Constantinum morti appropinquantem fuisse apud Nicomediæm ab Eusebio Nicomediensi, qui gratia immodice apud eum prævaluerat, baptizatum: cum pridem constituisset ad fluentia Jordanis baptismo initiari. Testificatur hoc idem Gelasius Cyzicenus lib. 3. qui apud nos intercedit, sed ejus hoc testimonium adducit Photius in Bibliotheca. His conformia scribit chronicon Alexandrinum. Sed ut resumamus epistolam Ariminensium Patrum, ea refert Constantinum accepto baptismo ex hac vita in æterna præmia commigrasse.

4. Ceterum Baronius solo unius typographi errore fretus, eodem loco pro Constantino vult Constantem legi, contra quam habent reliquæ omnes editiones & exemplaria universa. Provide namque observat & admonet Joannes Morinus, Oratorii JESU Sacerdos undequaque doctissimus, in sua Constantiana historia, in omnibus quæ extiterit Athanasii editionibus, Græcis & Latinis, eo loco nomen Constantini, non vero Constantis reperiri, præterquam in sola columna Latina folius editionis Commelini: in Latina inquam translatione: siquidem in columna quæ Græcum refert contextum ejusdem Commelini editionis, expresse habetur *Konstantinos*. Ceterum editiones Parisenses ceteraque omnes a Commeliniana explicite habent apud Athanasium loco præfato nomen Constantini, in Græco autem contextu ipse etiam editor Commelinus, quemadmodum cunctæ alix editiones, exprimit nomen *Konstantinos*. Sed ipsa insuper omnia tum Hilarii, tum Socratis, tum Sozomeni, tum Theodoriti, tum Cassiodori, quæ eandem Ariminensium Patrum epistolam referunt, nihil habent tam Latine, quam Græce, nisi Constantinum. Quanam itaque æquitas ferre queat, ut unius typographi oscitantia, & mendum, quod fuerat corrigendum, subruat evertatque omnia undecumque conformia inter se illibataque exemplaria?

5. Canon Silvestri Concilii primi, numero tertius, habenas laxat omnibus Clericis ad universa flagitia, non utique qua iuste religioseque prohibet litem criminis coram laicis iudicibus adversus Clericos intentari; sed qua absolute removet omnes sive accusatores, sive testes, qui possent Clericum quemlibet sceleris etiam apud Ecclesiasticum iudicem convincere. Excluduntur enim quicumque laici ab accusatione & testimonio in causa criminis cujuscunque Clerici. Sicut & quorumlibet Clericorum adversus quoscunque alioris gradus Clericos. Nec id sufficit; sed ut possit Præful convinci iudicio, requiruntur 72. testimonia non suspecta, non laicorum, non Clericorum inferiorum, sed Episcoporum. Similiter adversus Sacerdotem testimonium non minus 44. Sacerdotum; & similiter Diaconus non habebit convictus nisi per testes 36. eosque ad minimum Diaconus. Quisquis vellet scelera omnia impune tota Ecclesia grassari, possitne commodiorem ad hunc perniciosum finem excogitare constitutionem?

6. Epilogus hujus Concilii affirmat, non solum Arium, sed & Photinum in eo damnatos. Id tamen veritatis repugnat, nondum enim Photini hæresis innotuerat, quæ

## Concilium Romanum sub Silvestro, &amp;c.

quæ longe post hæc primo a Concilio Sirmienfi damnata est. Idem Epilogus commemorat Presbyteros & Diaconos Cardinales. Id tamen nomen, cum illo eminenti dignitatis gradu, nondum obtinuerant regionarii urbis Romæ Sacerdotes & Diaconi, qui re ipsa Ecclesiarum, quibus alligati erant, quotidiano ministerio fungebantur: quique Episcopos observabant ut sibi superiores. Caput deinde 1. enarrat convenisse in istud Concilium 384. Episcopos, cura & impensis Constantini, fuisseque celebratum intra thermas Domitianas, quæ postea Trajana nominatae sunt: refert autem Episcopos confedisit, & a tergo eorum Sacerdotes stetit. Quæ tamen res non videtur posse Romanæ disciplinæ ac regulæ accommodari; de qua Hieronymus fidem facit epist. 85. ad Evagrium, his verbis: Ceterum etiam in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi: licet paulatim increbrescentibus vitiiis inter Presbyteros absente Episcopo sedere Diaconum viderim. Concilium præterea Carthaginense IV. can. 34. statuit, ut Episcopus in quolibet loco sedens stare Presbyterum non patiatur.

7. Mirandi etiam causa subest in isto Concilio, quod Romæ initum fuisse testatur ejus epilogus; quod cum jam decretum fuisset congregari anno sequenti Nicæna in Bithynia, ejusdem Silvestri Papæ iussu 318. Episcoporum Concilium adversus Arianos, nihil tamen in hoc Romano decreto sit de Ariano dogmate, quamvis Constantinus interfuit & subscripserit. Est etiam major admirandi causa, inter ejus subscriptores Helenam Constantini matrem recenseri. Quod est contra Ecclesiæ receptum vulgum: non enim alibi reperitur feminas Conciliis interfuisse ac subscripsisse. Denique negotium fecisset Consulatus ibidem notatus, his verbis, veterum editionum, & novissimæ Labbaanæ, quæ omnium exactissima est: *Dono Constantino Augusto tertio, & Prisco Consule*: Illud sane *Dono* pro *Domino* barbariem sapit longe posteriorum sæculorum. Præterea si Constantinus Augustus eo anno Consulatus iniiit, non potuit is ejus Consulatus esse numero tertius, sed septimus: Quandoquidem sex præcesserant illius Consulatus. Sextus enim Constantini Augusti Consulatus factus adscriptus occurrit ann. Christi 320. quo sibi collegam filium acceperat Constantinum juniorem Cæsarem. Hunc vero Cæsarem, si velis eodem anno fuisse Consulem, quo Romanum istud Concilium perhibetur celebratum, male vocatur Augustus in fine Concilii, cum Cæsar dicendus fuisset. Si autem pro collega Prisco velis Crispum Cæsarem ingerere, istud tibi regetur; non modo hunc debuisse Cæsarem appellari, sed etiam primum ordine poni; utpote natu majorem, & Cæsaris dignitate multis annis anteriorem juniore Constantino fratre, ex secundis nuptiis progenito.

8. De secundo sub Silvestro Romano Concilio ad approbandum Apostolicæ sedis auctoritate Nicænum Concilium, nequaquam ambigendum est, jus ac potestatem esse Apostolicæ sedis roborandi quæcunque Concilia; etiam plenaria & generalia. Sed intercederunt hujusce approbationis acta, eorumque loco Isidoriana collectio duo Romana sub Silvestro commentitia Concilia, mutuasque Nicænorum Patrum & Silvestri Pontificis epistolæ supposuit, utraque mendis scatentes; eamque præferim, quæ Silvestro ascribitur, mendosissimam, ut scribit Baronius; addens ob Consulatus perperam positos commentitiam reputari. Hæc ex officina Mercatoris Hispani merces ignotas olim fuisse Romanæ Ecclesiæ vel inde constat, quia nec duo illa Romana sub Silvestro Concilia, nec illorum Canones, qui si conficti non essent, vel præcipuum inter Romanos locum habere debuissent, ullatenus reperiantur in Canonum Romanæ Ecclesiæ Codicibus veneranda antiquitatis, sive Justelli, sive Quæsnelli: neque in collectione Dionysii Abbatis; qui cum esset Romanæ Ecclesiæ Diaconus, ibique suum opus conscriberet, hæc præcipui momenti partes, si legitima fuissent, non omisit. Re ipsa tamen fuisse ab Ecclesia Romana confirmatam Synodum Nicænam, requiritibus ipsis Patribus Nicænis, firmiora istis commentitiis scripturis testimonia confirmant & asruunt. In primis præfatio, quam ipsa olim Romana Ecclesia in suo Codice Nicænis Canonibus præmisit, his verbis: *Beatissimo Silvestro in urbe Roma Apostolica sedis Antistite, Constantino Augusto & Licinio Cæsare, Consulatu Paulini & Juliani virorum clarissimorum: anno ab Alexandro 1036. mense Junio, 13. Calend. Julii: propter insurgentes hæreses fides Catholica exposita est apud Nicæam Bithynia: quam sancta & reverendissima Romana completitur & veneratur Ecclesia: quippe quam trecenti decem & octo Patres, mediantibus Victore atque Vincencio religiosissimis Romana sedis Presbyteris, inspirante Deo, pro destruyendo Arianismo protulerunt. Nam & nonnulla regula subnexæ sunt, quæ memorata suscipiens confirmavit Ecclesia. Sciendum est sane omnibus Catholici Cassianii, Notitiæ Ecclesiasticæ.*

quæ, quoniam S. Ecclesia Romana nullis Synodis decretis præfata est, sed Evangelica voce Domini JESU Christi Salvatoris nostri primatum obtinuit, ubi dixit B. Apostolo Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Felix etiam Papa III. ep. 4. hæc attestatur, *Domino ad B. Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, &c. eam vocem sequentes trecenti decem & octo Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.* Ipsa quoque Ecclesiæ vetustissima & Apostolica traditio satis superque indicat, sacrosanctæ Nicæna Synodi decreta firmitatem & robur ab Episcopo Romanæ Ecclesiæ accepisse, de qua Socrates lib. 2. cap. 17. sic prodit: *Canon Ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Romanæ Ecclesiæ Episcopi sanciantur.*

## G E S T A

## AB ARIANIS SUPERSTITE

Magno Constantino; &amp; de Cæsariensi, Tyrio, &amp; Jerusalemitano Conciliabulis.

1. Fidei Symbolum in Nicæna Synodo proculsum invitati Ariani Episcopi specie tenus ac dissimulenter suscipere, formidine adducti amissionis suarum Ecclesiarum, & omnium fortunarum, & exillii. Pauci eis per aliquod tempus subscribere renuerunt, ideoque sedibus suis brevi tempore depulsi, aliis in eorum vices subrogatis, ut Eusebius Nicomediensis, & Theognis sive Theognis Nicænus: sed mox ad Constantini clementiam recurrentes, ejus interventu pristina recuperare sedes, postquam ficto animo subscriperunt. Duoque dumtaxat Ariani Episcopi Theonas Marmarica, & Secundus Ptolemædis, nunquam ad subscriptionem illam aut animi fictionem confenserunt, pristinisque sedibus & fidelium communionem irreparabiliter exiderunt, ut prodit Synodica Nicænorum Patrum ad univerfas Ecclesias epistola. Quinto post sacrosanctam Synodum mense ad caelestem translatus est vitam Alexandria Antistes Alexander, qui primus adversus Arianos classicum insonuerat, vexillumque exerat: ejusque in locum substitutus est non quidem Theonas, ut deceptus scribit Epiphanius, sed Athanasius, obstitentibus licet atque frementibus Arianis, qui Theonam fortassis expecterant, ut hac ratione sedem, ex qua fuerat extrusus, cumulatus compensarent.

2. Constantini quidem edicto cautum erat, ut decretis Nicænis ab omnibus obtemperaretur, propositis in refractarios exillii pœnis, bonorumque amissionis: utque Arii scripta non solum hæretica, sed etiam liber ille obsecans, quem Thalia titulo inscripserat, ignibus traderentur: ut insuper Porphyrianis vocarentur omnes hæresis Arianae sequaces, odioso Sophista nomine, qui nefariis libris Christianam religionem profuderat. Dum vixit Constantinus, Ariani Nicænam fidem aperto Marte nequaquam oppugnare ausi, multo plus Ecclesiam divexerunt, quam si eandem aperto bello fuissent adorti. Sic enim suos Episcopatus, suosque gradus & ordines retinuerunt, ut commissos sibi populos seducerent. Eaque calliditate in Dominicum majore licentia grassati sunt, gregales suos pestilentisque Doctores promoverunt, fideles autem per calumnias ceteraque malas artes submoverunt; conventus Synodales ad fidei oppugnationem frequentes habuerunt: atque in Constantini gratiam, & aulicam potestatem adeo intime se insinuavere, ut Orthodoxi Episcopi non tantum inde procul submoti, sed etiam innumeris fuerint curialium vexationibus obnoxii; ipseque delusus Imperator calumniis ab Arianis excogitatis fidem habuerit: impiaque Pseudosynodorum decreta ab Eusebianis procusa imperiali sua auctoritate firmaverit: Officiales vero Eusebianis additos, & Orthodoxis infensos, Episcoporum Synodis, in quibus Ariani prævalebant, præferent. Ita factum est, ingruente ab Arianis persecutione, & ipsius addictissimi Principis cæco studio ac violentia, ut hæresis latius in dies manaverit, & quasi contagione innumerorum hominum mentes brevi pervaserit.

3. At vero in Athanasium præcipuum & acerrimum Nicæna pietatis defensorem atrocis Arianorum furor exarsit. Fax Arianorum præcipua erat Nicomediensis Eusebius, qui ut Athanasium deturbaret, illum cum Constantino, cujus gratia & facilitate abutebatur, committere, atque in contentione trahere fategit. Hoc igitur animo persuasit Ario, ut penitentiam ac resipiscantiam a pristina hæresi coram Principe subdole si-